



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VI. De vitiis fidei oppositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

torio interioris gratiæ; non credit, nec credere potest ex generali, pleno & absoluto affectu sese in omnibus submittere auctoritati divinæ sufficienter propositæ; & ita nec habet, nec habere potest fidem illam christianam & perfectam, qua Deo creditur super omnia, qua intellectus absolute captivatur in obsequium Christi, qua sola exhibetur Deo supremus cultus intellectualis; & suprema reverentia auctoritati ejus debita, quæ sola ad justificationem sufficit, & quæ sola venit nomine fidei simpliciter, sicut sola dilectio Dei super omnia, venit nomine charitatis.

At iniquus. Potest aliquis credere fide humana perfecta sine voluntate generali, plena & absoluta se submittendi in omnibus auctoritati humanæ. Ergo & potest credere fide divina perfecta, sine voluntate generali, plena & absoluta se submittendi in omnibus auctoritati divinæ sufficienter propositæ. R. neg. consequ. Ratio disparitatis est; quia auctoritas humana, cum sit finita & fallibilis, non meretur tantam submissionem; unde potest quis credere fide humana perfecta sine tanta submissione: nam credit fide humana perfecta, qui se submittit auctoritati humanæ, quantum meretur, & consequenter qui credit cum voluntate restricta se submittendi auctoritati humanæ. Imò qui crederet fide humana cum voluntate generali, plena & absoluta se submittendi in omnibus auctoritati humanæ, non crederet fide humana perfecta, sed imperfectissima & imprudentissima, quia enormiter excederet fides ejus meritum auctoritatis humanæ.

Authoritas verò divina est summa & summè infallibilis; unde meretur generalem, plenam & absolutam submissionem, & ita nemo potest credere fide divina perfectà, nisi generaliter, plenè & absolute se submittat authoritatì divinæ, & ita generaliter, plenè & absolute paratus sit, ad deferendum in omnibus authoritatì divinæ sufficienter propositi; quia non censetur credere fidè divinà perfectà, nisi qui se submittit authoritatì divinæ, quantum ipsa meretur; & ut fides divinà dicatur perfectà, debet esse saltem appreciativè proportionatà meritò & excellentiæ authoritatì divinæ; sicut dilectio Dei propter se, ut sit perfectà charitas, debet esse saltem appreciativè proportionatà meritò & excellentiæ divinæ bonitatis.

DISPUTATIO VI.

De Vitiis Fidei oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit, & quotuplex sit infidelitas.

R E S P O N S I O I.

Infidelitas in genere triplex est, negativa scilicet, contraria, & privativa.

Exponitur. Infidelitas negativa est carentia fidei in iis, qui de fide nihil unquam audierunt, quales sunt multi gentiles. Infidelitas contraria est actus, quo quis fidem sibi sufficienter propositam contemnit, vel ei contradicit. Infidelitas denique privativa est carentia fidei in iis, quibus fides est sufficienter proposita, non quidem ut credant, sed ut teneantur inquirere, & tamen non inquirent, sive ex negligentia, sive ex malitia.

R E S P O N S I O II.

Infidelitas contraria triplex est, nempe paganismus, judaismus, & hæresis.

Exponitur. Paganismus, ad quem reducitur atheismus, est infidelitas, qua doctrina fidei totaliter rejicitur. Judaismus est infidelitas, qua doctrina fidei rejicitur in veritate, seu ut est in novo Testamen-

to, sic tamen ut admittatur in figura, seu ut est in Testamento veteri. Hæresis est infidelitas, qua doctrina fidei in veritate non quidem ex toto, sed solum ex parte rejicitur. Talis est v. g. Calvinismus, qui doctrinam de baptismo admittit, sed rejicit doctrinam de Eucharistia.

R E S P O N S I O I I I .

Hæ tres infidelitatis contrariæ species non distinguuntur essentialiter in ratione peccati, sed solum accidentaliter secundum magis & minus, in eadem peccati specie.

Prob. 1. pars. Nam sicut fidelis est ille, qui auctoritatem divinam sufficienter propositam admittit, eique se submittit, propter illam firmissimè credendo; unde bonitas & honestas fidei consistit in eo, quòd per eam fidelis voluntariè exhibeat auctoritatem divinæ sibi sufficienter propositæ debitam reverentiam, illam modo ipsius infalibilitati proportionato amplectendo; sic infidelis contrariè dicitur ille, qui auctoritatem divinam sibi sufficienter propositam non vult admittere, neque ei submittere; unde malitia & turpitudò infidelitatis contraria in eo sita est, quòd per eam infidelis auctoritati divinæ sufficienter propositæ reverentiam debitam negat, illam non amplectendo, vel illi contradicendo. Atqui denegatio reverentiæ debita auctoritati divinæ sufficienter propositæ, est ejusdem naturæ in pagano, judæo, & hæretico: ut enim patebit ex modo dicendis, hæc denegatio in pagano, judæo & hæretico diversa est tantum secundum magis & minus tum intensivè tum extensivè intra eandem speciem. Ergo malitia & turpitudò infidelitatis contraria est ejusdem naturæ in pagano, judæo, & hæretico, & consequenter paganismus, judaismus & hæresis non differunt essentialiter in ratione malitiæ & turpitudinis morales.

Prob. 2. pars. Nam, illa species infidelitatis, contra-
rariæ opponuntur inter se secundum majorem vel
minorem irreverentiam & contemptum authoritatis
divinæ. Ergo opponuntur inter se secundum majorem
vel minorem turpitudinem in eadem specie tur-
pitudinis moralis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Quia cate-
ris paribus, major est contemptus authoritatis divinæ
in hæresi, quam in judaismo, & major in judaismo,
quam in paganismo. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ibi
major est contemptus authoritatis divinæ, ubi majora
sunt fundamenta subjucendi se authoritati divinæ. At-
qui in hæreticis majora sunt fundamenta credendi &
subjucendi se authoritati divinæ, quam in judæis; &
in judæis, quam in paganis: nam hæretici agnoscunt
Messiam venisse, quod negant judæi: & judæi ad-
mittunt vetus Testamentum, quod pagani rejiciunt.
Ergo, &c.

Itaque cæteris paribus, hæresis est gravius peccatum, quam judaismus, & judaismus, quam paganismus, & ita, cæteris paribus, inter peccata infidelitatis, hæresis est peccatum gravissimum, intensivè scilicet, propter majorem contemptum divinæ autoritatis; nam extensivè minus est peccatum quam judaismus, & judaismus, quam paganismus, quia pagani errant circa plures veritates revelatas, quam Judæi, & Judæi circa plures, quam hæretici. Unde paganismus est peccatum infidelitatis extensivè maximum.

Hic tamen observandum est, hæresim sic esse peccatum, infidelitatis gravissimum, ut tamen non sit peccatum simpliciter maximum in ratione malitiæ: nam v. gr. odisse Deum est aliquid gravius in ratione malitiæ, quam authoritati divinæ: sufficienter propositæ nolle se submittere, sed illam rejicere, vel illi contradicere. Dixi, in ratione malitiæ; quia quilibet infidelitas contraria, ac proinde non solum hæresis, sed etiam judaismus & paganismus, est peccatum simpliciter maximum ex parte nocentium, quod infert: nam tollit radicem omnis iustitiæ, nempe fidem, sine qua nullus esse potest actus etiam de congruo tantum meritorius.

RES-

RESPONSIO IV.

Hæresis subdividitur in plures species, non quidem formaliter, sed materialiter tantum diversas.

Prob. Nam v. g. hæresis alia est Ariana, alia Macedoniana, alia Nestoriana, alia Pelagiana, alia Lutherana, &c. Ratio est, quia tot sunt species hæresum, quot sunt diversi articuli fidei, circa quos erratur. Atqui alii errant circa divinitatem Verbi, alii circa divinitatem Spiritus Sancti, alii circa existentiam Incarnationis, alii circa Gratiâ, alii circa Justificationem, &c. Ergo, &c. Hæ autem hæresis species non sunt formaliter, sed solum materialiter diversæ, quia diversitas illarum petitur, non à diverso specificè contemptu autoritatis divinæ; nam contemptus autoritatis divinæ est idem specie in omnibus hæresibus; sed à diversa materia, seu à diversis fidei articulis, circa quos erratur.

ARTICULUS II.

Utrum infidelitas negativa sit peccatum, an pœna peccati tantum.

RESPONSIO.

Infidelitas purè negativa non est peccatum, sed pœna peccati.

Prob. 1. pars. 1. Ex verbis illis Christi Joan. c. 15. *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quæ verba S. Augustinus tract. 89. in Joan. interpretans de peccato infidelitatis, dicit eos, quibus Christus non est prædicatus, habere excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.

2. Ex S. Thoma qu. 10. art. 1. in O. ubi sic ait: *Si autem accipiatur (infidelitas) secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœna, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. 15. Si non venissem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent: Quod exponens Augustinus dicit, quod loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum.*

3. Ratione. Nam infideles infidelitatem purè negativam habentes, ignorant invincibiliter Evangelium. Ergo non peccant, non credendo. Consequentia patet, quia ignorantia juris positivi divini excusat à peccato. *Prob. ant.* Nam ille ignorat invincibiliter Evangelium, qui de Evangelio nihil unquam vel audivit, vel cogitavit, vel per industriam humanam audire aut cogitare potuit. Atqui tales sunt infideles, qui infidelitatem purè negativam habent. Ergo, &c.

Præterea, ut docet S. Augustinus, omne peccatum est voluntarium, in se scilicet, vel in causa. Atqui infidelitas purè negativa neque in se neque in causa voluntaria est habentibus illam. Ergo non est peccatum. *Prob. min. 1.* Enim non est voluntaria in se, quia non est in se cognita. 2. Non est voluntaria in causa, quia nihil faciunt, aut omittunt infideles, unde cognoscant, vel per industriam humanam cognoscere possint sequi infidelitatem illam purè negativam. Merito igitur à summo Pontifice Alexandro VII. damnata est propositio asserens infidelitatem purè negativam esse peccatum.

Prob. 2. pars. 1. Ex S. Thoma loco proxime citato. 2. Ex S. Augustino epist. 109. ad Sixtum, ubi loquens de ignorantia Evangelii dicit, *ignorantiam in illis, qui intelligere noluerunt, peccatum esse: in eis autem, qui non potuerunt, pœnam peccati.* Unde sic argumentor. Ignorantia Evangelii, propter quam infideles laborant infidelitate negativa, est pœ-

na peccati. Ergo & ipsa infidelitas negativa: non enim ignorantia Evangelii potest esse pœna peccati, originalis scilicet (nam de eo loquitur S. Augustinus, & post illum S. Thomas) quin etiam ejusdem peccati pœna sit illud omne, quod hanc ignorantiam necessariò consequitur.

Obj. 1. Ex dictis, infideles illi, qui infidelitatem negativam habent, si facerent quod in se est cum auxilio gratiæ, audirent Evangelium, & reliqua auxilia proximè ad fidem christianam requisita acciperent. Ergo infidelitas negativa est in illis peccatum. *Resp. neg. conseq.* Quia quoddam, faciendo quod in se est cum auxilio gratiæ, instruerentur de Evangelio, & acciperent alia auxilia proximè requisita ad fidem christianam, nec sciunt, nec per ullam industriam humanam scire possunt. Unde ignorant illud invincibiliter, & ita ignorantia Evangelii, & infidelitas quæ illam consequitur, nullo modo sunt illis voluntariæ, & sic peccatum esse nequeunt.

Dices. Est in potestate infidelium illorum instrui de Evangelio, & habere omnia auxilia proximè requisita ad fidem christianam. Ergo quoddam ignorent Evangelium, & careant fide christiana, non potest in illis excusari à peccato. *Resp. neg. conf.* Quamvis enim instrui de Evangelio, & habere auxilia ad fidem christianam proximè requisita, sit in infidelium illorum potestate, quatenus in eorum potestate est facere aliquid cum auxilio gratiæ, per quod infallibiliter impetrarent prædicationem Evangelii, & alia omnia proximè requisita ad credendum fide christiana; tamen quoddam ignorent Evangelium, & fide christiana careant, nullo modo illis voluntarium est; quia nec sciunt nec scire possunt, quoddam in eorum potestate sit, rectè utendo auxiliis gratiæ, quæ pro loco & tempore accipiunt, instrui de Evangelio, & habere fidem christianam.

At inquires. Si in eorum potestate est instrui de Evangelio, ignorantia Evangelii non est in illis invincibilis, sed vincibilis. Ergo si in eorum potestate est instrui de Evangelio, quoddam Evangelium ignorent, & consequenter quoddam fide christiana careant, non potest in illis non esse peccatum. *Resp.* Dato quoddam in infidelibus, de quibus agitur, ignorantia Evangelii sit aliquo modo vincibilis, adhuc nihil efficit, & rectè negari consequentiam: nam adhuc infideles illi rectè dicuntur ignorare Evangelium & fidem christianam probabiliter, seu inculpabiliter, quia non qualibet ignorantia vincibilis etiam Evangelii dici potest improbabilis & culpabilis, sed ea solum, ad quam tollendam teneretur quis adhibere diligentiam. At infideles, de quibus loquimur, non tenentur adhibere diligentiam ad tollendam ignorantiam Evangelii, quod esse nequidem suspicari humanitus possunt, sed solum tenentur ad bonum usum gratiarum, quas pro loco & tempore accipiunt; unde illis ad peccatum solum imputatur, quoddam gratis illis abutantur, non quoddam ignorent Evangelium & fidem christianam.

Obj. 2. Ex Apostolo. Evangelium ubique terrarum sufficienter prædicatum fuit: nam sic loquitur Rom. cap. 10. *Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terra verba eorum.* Ergo nullus hominum per ignorantiam Evangelii excusari potest, quoddam credat. *R. breviter neg. ant. Ad prob. Resp.* Apostolum, si verba illa, *In omnem terram*, non lumantur in sensu restricto, per *to eorum*, intelligere non solum Apostolos, sed etiam eorum successores, & in hac voce, *exivit*, sumere tempus præteritum pro futuro, more Prophetarum; & proinde Apostoli sensum esse, Evangelium partim per Apostolos, partim per Apostolorum successores ubique gentium & terrarum prædicatum iri. Quæ prophetia sensum impletur; sic tamen, ut adhuc innumeri penè infideles sint, qui nihil audierunt, nec audire humanitus potuerunt de Evangelio hactenus.

ARTICULUS III.

Quid sit propria heresis.

NOta. Heresis, si etymologia spectetur, significat electionem. Unde spectata sola etymologia huius vocis; quolibet sententia, quam quis eligit, heresis vocari potest, siue vera sit, siue falsa. At verò si solum vocis spectes, heresis in malam partem accipitur, & significat errorem in fide. De heresi autem in hac significatione sumpta, quaeritur hic, quid sit.

RESPONSIO I.

Ad heresim requiritur ex parte intellectus iudicium erroneum contra fidem; ex parte voluntatis, pertinacia, & ex parte subjecti, professio fidei christianae.

Prob. 1. Itaque requiritur ex parte intellectus, iudicium erroneum contra fidem, hoc est, iudicium directè repugnans veritati à Deo revelatae. Ratio est, quia heresis est species infidelitatis contrariae, ut constat ex Art. 1. Sed infidelitas contraria est actus, quo quis dissentit veritati à Deo revelatae: sicut fides, cui contrariè opponitur, est actus, quo quis veritati à Deo revelatae assentitur. Ergo heresis est actus, quo quis veritati à Deo revelatae dissentit, proindeque iudicium est erroneum contra fidem, & directè repugnans veritati à Deo revelatae. Ex his.

Observa. Si quis teneat aliquam veritatem fidei, putans eam esse contrariam doctrinae Ecclesiae, aut cum voluntate persistendi in sua sententia, quamvis oppositum ab Ecclesia definiretur, ibi præcisè sistendo, nec infallibilitatem Ecclesiae negando, non esset hereticus propriè. Item non est hereticus, qui præcisè habet voluntatem amplectendi Lutheranismum (idem dic de qualibet alia heresi), quamvis ex parte affectus peccet peccato infidelitatis. Item non est propriè hereticus, qui exterius tantum fidem abnegat, unde nec incurrit excommunicationem latam contra hereticos.

2. Ex parte voluntatis requiritur pertinacia, ut docet S. Augustinus epist. 162. ubi sic habet: *Qui sententiam suam, quamvis falsam & peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia presumptionis suae pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt: quærum autem causa sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inveniunt; nequaquam sunt inter hereticos deputandi.* Et lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. ubi sic ait: *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaeque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, heretici sunt, & foras exentes, habentur in exercen- tibus inimici.*

S. Augustinum sequitur S. Thomas quaest. 11. art. 2. ad 3. ubi relatis prioribus verbis S. Augustini, sic prosequitur: *Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse, vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sit vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quae nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiae determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hereticus censetur.*

Contumax autem in hac materia censetur is, qui sciens & prudens tenet aliquid contra sensum Ecclesiae, hoc est, qui cognoscens & animadvertens suam opinionem contrariam esse sensui Ecclesiae, contempta auctoritate Ecclesiae, nihilominus opinioni suae adhaeret. Parec 1. ex S. Thoma verbis proximè relatis. 2. Ex S. Augustino lib. 4. contra Donatistas c. 16. ubi sic ait: *Constituamus aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse catholicam fidem; nondum illum hereticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholica fidei, resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.*

Accedit ratio: quia sicut ille censetur docilis, &

catholicus, qui credit vera esse ea omnia, quae ab Ecclesia proponuntur, ut revelata à Deo; ita è contrario is cenieri debet contumax & hereticus, qui tenet aliquid non esse verum; quamvis Ecclesia proponat illud, ut à Deo revelatum. Igitur contumacia ad heresim requisita, consistit in efficaci & deliberata voluntate contradicendi Ecclesiae, & dissentendi alicui veritati revelatae, contra sensum & determinationem Ecclesiae, à qua veritas illa sufficienter proponitur ut revelata.

Hinc quamvis homo dissentiens privatae revelationi credibili, sit infidelis infidelitate, quae habitum fidei excludit, & ab heresi quoad essentiam nihil plane differat, non est tamen hereticus propriè, & secundum acceptionem in Ecclesia communiter receptam; quia non contradicit Ecclesiae, nec tenet aliquid contra sensum & determinationem ejus; unde subjectus non est penis hereticorum.

3. Requiritur ex parte subjecti, professio fidei christianae. Nam ita docet, 1. S. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 51. ubi sic ait: *Heretici sunt, qui sub vocabulo christiano doctrinae resistunt christiana.* 2. S. Thomas quaest. 11. art. 1. in O. ubi ita loquitur: *A rectitudine ergo fidei christiane dupliciter potest quis deviare. Uno modo, quia ipse Christo non vult assentire: is hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem: & hoc pertinet ad speciem infidelitatis paganorum & judaeorum. Alio modo, per hoc quod intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat: quia non eligit ea, quae sunt verè à Christo tradita, sed ea quae sibi propria mens suggerit. Et ideo heresis est infidelitatis species, pertinet ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt.* Ratio autem est, ut suggerit S. Thomas hoc loco, quia qui non profitetur fidem christianam, seu, quod idem est, qui non profitetur se Christo credere, etiam si erret, paganus est vel judaeus, non hereticus.

Addo, ad heresim ex parte subjecti sufficere professionem fidei christianae. Nam 1. non requiritur ex parte subjecti, ut prius habita fuerit vera fides: alioqui qui esset Calvinista ab infanzia, non esset hereticus: quod dici non potest. 2. Non requiritur ex parte subjecti susceptio baptismi: nam Concilium Nicaenum can. 19. statuens eos, qui ad Ecclesiam Catholicam ex heresi Pauli Samozateni redeunt, esse baptizandos, supponit aliquos esse hereticos antequam baptizentur. Quod etiam supponit S. Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum c. 3. & in praefatione ad librum de haeresibus. Neminem tamen Ecclesia tanquam hereticum punire potest, nisi sit baptizatus, quia nemo ab Ecclesia puniri potest, nisi subjectus ejus potestati & jurisdictioni. Nemo autem subjectus est potestati & jurisdictioni Ecclesiae ante baptismum. Unde cum Ecclesia hereticos non baptizatos anathematizat, anathema tunc, non excommunicationem, sed execrationem significat. Ex his autem sit.

RESPONSIO II.

Heresis est voluntarius error intellectus contra aliquam fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo qui se Christianum profitetur.

Dicitur 1. error intellectus, hoc est, erroneum iudicium, seu falsus assensus, cujus subjectum est intellectus. Dicitur 2. error voluntarius, quia sicut assensus fidei à voluntate imperatur, ita & assensus contra fidem: unde uterque aequè liber est; & sicut assensus fidei est honestus & laudabilis, ita & assensus contra fidem est inhonestus & culpabilis. Dicitur 3. error contra veritatem fidei, quia error in alia materia, non est heresis. Dicitur 4. contra aliquam veritatem fidei: nam error contra omnes veritates fidei non est heresis, sed apostasia. Dicitur 5. cum pertinacia: quia qui errat circa aliquam veritatem fidei sine pertinacia, est malè sentiens, non hereticus. Dicitur denique 6. ab eo, qui se Christianum profitetur:

retur: qui enim Christum non agnoscit, nec ei credere se proficitur, non est hæreticus, sed infidelis, paganus scilicet, vel judæus.

ARTICULUS IV.

Utrum sit hæreticus ille, qui habet dubitationem in rebus fidei.

NOta. Dubitatio duplex esse potest, una scilicet negativa, & altera positiva. Dubitatio negativa est, quando intellectus apprehendens aliquam propositionem, circa illam nullum exercet actum, sed circa illam se habet merè negativè, neque assentiendo, neque dissentiendo. Dubitatio positiva est, cum intellectus positivè judicat propositionem, quam apprehendit, esse incertam, & de illa positivè dicit: Fortasse non est vera, sed falsa.

RESPONSIO I.

Qui deliberatè & positivè dubitat de veritate aliqua revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, est formaliter hæreticus.

Prob. 1. Ex S. Thoma quaest. 10. art. 7. in O. Si dixerit, inquit, *tantum de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; praevidetur peccat tanquam dubius in fide, & infidelis.*

1. Ratione: nam 1. ille est formaliter hæreticus, qui judicat auctoritatem Ecclesiae in proponendis veritatibus fidei esse fallibilem. Sed qui positivè dubitat de veritate revelata, & ut tali, ab Ecclesia sufficienter proposita, judicat Ecclesiam in proponendis veritatibus fidei auctoritatem fallibilem esse: nam veritatem revelatam, & ut talem, ab Ecclesia sufficienter propositam, judicat esse incertam; quod facere non potest, nisi judicando Ecclesiam falli posse in propositione veritatum fidei, proponendo scilicet aliqua tanquam revelata, quæ tamen revelata non sunt. Ergo, &c.

2. Ille est formaliter hæreticus, qui habet iudicium erroneum in materia fidei cum pertinacia. Sed qui positivè dubitat de veritate revelata, & ut tali, ab Ecclesia sufficienter proposita, habet iudicium erroneum in materia fidei cum pertinacia. 1. Habet iudicium erroneum in materia fidei: nam judicare incertam esse veritatem, quam Ecclesia sufficienter proponit, ut revelatam, errare est in materia fidei, cum omnis veritas, quam Ecclesia ut revelatam sufficienter proponit, sit certissima. 2. Pertinax est: nam sciens & prudens contradicit sensui Ecclesiae, quæ judicat firmissimè tenendam esse omnem veritatem, quam ut revelatam proponit fidelibus credendam. Ergo, &c.

Hinc etiam si quis eliciat assensum tantum opinativum circa veritatem revelatam, ut talem ab Ecclesia sufficienter propositam, est formaliter hæreticus, si assensus ejus est actu formidolosus: nam tunc positivè dubitat, & negat Ecclesiam infallibilitatem, ejusque sensui contradicit, judicando veritatem aliquam esse incertam, quam tamen Ecclesia ipsa certissimè tenendam esse judicat. At non est hæreticus, si assensus ejus est solum radicaliter formidolosus, quia tunc non dubitat actu, nec negat infallibilitatem Ecclesiae, quamvis eam non asserat; neque contradicit Ecclesiae sensui; non enim judicat veritatem ab Ecclesia propositam, esse indignam assensu firmissimo, quamvis tunc ei non adhareat firmissimè.

RESPONSIO II.

Qui de veritate aliqua revelata, & ut tali ab Ecclesia sufficienter proposita, dubitat negativè, hoc est, per meram suspensionem assensus, à voluntate imperatam propter rationes contrarium suadentes, est etiam formaliter hæreticus.

Prob. Nam talis non audet assentiri veritati ab Ecclesia propositæ, quia propter rationes contrarium suadentes timet, ne assentiendo illi, erret. Unde ad vitandum erroris periculum, imperat sibi suspensionem assensus. Ergo æquivalenter judicat rationes contrarium suadentes, tantum esse momenti, ut incertam reddant veritatem, quamvis ab Ecclesia proponatur, ut certè tenenda, tanquam à Deo revelata. Ergo æquivalenter judicat Ecclesiam esse fallibilem in materia fidei, & æquivalenter contradicit sensui Ecclesiae judicantis veritatem, quam proponit ut revelatam, assensu firmissimo tenendam esse propter auctoritatem divinam. Ergo tam est hæreticus, quam qui dubitat positivè: nam sive formaliter, sive æquivalenter judices Ecclesiam fallibilem esse in materia fidei; item sive formaliter, sive æquivalenter contradicas sensui Ecclesiae, perinde est in æstimatione morali in ordine ad incurrendam formalem hæresim, quia in utroque casu pertinaciter erratur contra fidem.

ARTICULUS V.

Utrum errans in fide ex ignorantia culpabili quod oppositum doceatur ab Ecclesia, sit formaliter hæreticus, & infidelis infidelitate pellente habitum fidei.

RESPONSIO I.

Non est formaliter hæreticus, qui errat in fide ex ignorantia culpabili, sive affectata, sive non affectata, quod oppositum doceatur ab Ecclesia.

Prob. Nam ille non est formaliter hæreticus, qui non errat in fide cum pertinacia, ut constat ex dictis Art. III. Sed qui errat in fide ex ignorantia, &c. non errat cum pertinacia. Ergo, &c.

Prob. min. Nam, ut etiam constat ex dictis eod. Articulo, illi omnes & soli errant in fide cum pertinacia, qui cognoscunt & advertunt se credere & opinari contra sensum Ecclesiae, proponentis aliquid ut revelatum, & fide divina tenendum. Sed qui errat in fide ex ignorantia, &c. non cognoscit, nec advertit se credere & opinari contra sensum Ecclesiae, proponentis aliquid ut revelatum, & fide divina tenendum. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia ille nec est, nec potest esse contumax in materia fidei, qui habet voluntatem efficacem submittendi se auctoritati Ecclesiae, & credendi firmiter omnem veritatem revelatam, & ut talem ab Ecclesia sufficienter propositam; nam, ut Articulo citato dictum est, contumacia in materia fidei est voluntas deliberata & efficax contradicendi Ecclesiae, & dissentendi alicui veritati revelatae, quamvis ut tali sufficienter ab Ecclesia proposita. Sed qui errat in fide ex ignorantia culpabili, quod oppositum doceatur ab Ecclesia, habet voluntatem efficacem submittendi se auctoritati Ecclesiae, & firmiter credendi omnem veritatem revelatam, & ut talem ab Ecclesia sufficienter propositam: alioqui non erraret in fide ex ignorantia, quod oppositum doceatur ab Ecclesia, seu, quod idem est, non erraret in fide, quia ignorat oppositum doceri ab Ecclesia, & ignorantia non esset causa erroris illius. Ergo, &c.

Hoc autem argumentum tam valet pro eo qui errat ex ignorantia affectata, quam pro eo qui errat ex ignorantia non affectata: nam ignorantia affectata tam est causa erroris in eo qui errat ex ignorantia affectata, quam ignorantia non affectata est causa erroris in eo qui ignorat ex ignorantia non affectata.

RESPONSIO II.

Qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, sive affectata, sive non affectata, quod contrarium doceatur ab Ecclesia, non est infidelis infidelitate pellente habitum fidei.

Prob.

Prob. Habitus fidei non pellitur, nisi per infidelitatem propriam & simpliciter dictam. Sed qui errat contra fidem ex ignorantia, &c. non est infidelis infidelitate propriam & simpliciter dictam. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam infidelitas propriam & simpliciter dictam, est ea, qua rejicitur & contemnitur objectum formale fidei sufficienter propositum. Sed qui errat contra fidem ex ignorantia, &c. non est infidelis infidelitate rejiciente & contemnente objectum formale fidei sufficienter propositum. Ergo, &c. Major constat: nam infidelitas propriam & simpliciter dictam, est ea, quacum stare non potest actus fidei, quo veritas revelata creditur super omnia. At talis est sola infidelitas, qua rejicitur & contemnitur saltem in aliquo objectum formale fidei sufficienter propositum.

Prob. ergo min. Si is, qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, quod oppositum teneatur ab Ecclesia, contemnit in aliquo objectum formale fidei sufficienter propositum, certe contemnit in Articulo, contra quem errat. Sed hoc dici non potest: nam objectum formale fidei non est ei sufficienter propositum relatè ad hunc articulum. Ergo, &c. Præterea, ille non contemnit in aliquo objectum formale fidei sufficienter propositum, qui habet voluntatem efficacem, absolutam & universalem amplectendi objectum formale fidei, quoties erit sibi sufficienter propositum. Sed hanc voluntatem habet is, qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam affectata, quod oppositum doceatur ab Ecclesia. Sed ex his

Confirm. Resp. Ille non est infidelis infidelitate pelente habitum fidei, qui in sensu composito sui erroris potest exercere actus fidei perfectæ, & credere super omnia propter revelationem divinam articulos fidei, sibi ad credendum sufficienter propositos: nam secundum legem Dei ordinariam, qui habet habitum fidei, tandiu retinet illum, quandiu nihil habet impossibile cum actu fidei perfectæ. Sed qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam affectata, quod oppositum doceatur ab Ecclesia, potest in sensu composito, sui erroris exercere actus fidei divinæ, & credere super omnia alios fidei articulos, sibi ab Ecclesia sufficienter propositos: nam in sensu composito, sui erroris habet voluntatem efficacem, absolutam & generalem amplectendi veritates omnes revelatas, & ut tales sibi ab Ecclesia sufficienter propositas; cum habeat voluntatem efficacem, absolutam & generalem amplectendi objectum formale fidei, quoties sibi erit ab Ecclesia sufficienter propositum. Ergo, &c.

Obj. Ignorantia graviter culpabilis non excusat ab aliis peccatis: nam v.g. qui occidit hominem ex ignorantia graviter culpabili, reus est homicidii. Ergo nec excusat ab hæresi formali. *R. neg. conf.* Disparitas est, quia ad alia peccata requiritur & sufficit voluntarietas, quam non impedit ignorantia graviter culpabilis: nam ut actus legi repugnans, quæ talis, sit tibi voluntarius, necesse non est ut actu advertas te facere contra legem, sed satis est, si advertere possis & debeas. Ad hæresim verò, præter voluntarietatem requiritur pertinacia, quam impedit ignorantia, etiam graviter culpabilis, quod oppositum doceatur ab Ecclesia; quia ad pertinaciam requiritur actualis scientia & advertentia, qua qui errat contra fidem, actu scit & advertit se contradicere Ecclesie.

Dices 1. Qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili quod oppositum doceatur ab Ecclesia, peccat contra præceptum fidei. Ergo est formaliter hæreticus. *R. dist. ant.* Peccat contra præceptum fidei, non adhibendo debitam diligentiam, ad sciendas veritates à Deo revelatas, & ut tales ab Ecclesia propositas. *C. ant.* Peccat contra præceptum fidei, rejiciendo & contemnendo auctoritatem Ecclesie, & objectum formale fidei sufficienter propositum, *N. ant. & conseq.* Nam ut quis sit formaliter hæreticus, requiritur ut in aliquo rejiciat & contemnat Ecclesie auctoritatem, & objectum formale fidei sufficienter propositum ad credendum.

Dices 2. Qui errat contra fidem ex ignorantia, &c. contemnit auctoritatem Dei revelantis, & Ecclesie,

Ergo est hæreticus. *R. dist. ant.* Contemnit auctoritatem Dei revelantis, & Ecclesie, non adhibendo sufficientem diligentiam, ne auctoritati Dei revelantis & Ecclesie contradicat, & ita non exhibendo debitam reverentiam Deo & Ecclesie, *C. ant.* Rejiciendo in aliquo objectum formale fidei, sibi ab Ecclesia sufficienter propositum, & sic formaliter vel saltem virtualiter Deo revelanti, aut Ecclesie revelationes divinas proponenti denegando infallibilitatem, *N. ant. & conl.*

Itaque ut quis sit formaliter hæreticus, requiritur, ut rejiciat in aliquo objectum formale fidei, sibi ab Ecclesia sufficienter propositum, & sic virtualiter saltem Deo vel Ecclesie in materia fidei denegat infallibilitatem, quod non facit, qui errat contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam affectata, quod oppositum ab Ecclesia doceatur: nam è contra ita actu affectus est erga Dei & Ecclesie auctoritatem, ut si articulus fidei, quem negat, ei ab Ecclesia sufficienter proponeretur ut revelatum, statim, errore deposito, illum amplecteretur, & firmissimè crederet propter revelationem sufficienter ab Ecclesia propositam. Unde actus, quo errat, & adheret falso articulo, nequidem est virtualis negatio infallibilitatis Dei aut Ecclesie, nec est omnino absolutus, sed hanc tacitam conditionem includit, modò oppositum non sit à Deo revelatum, & ut tale ab Ecclesia sufficienter propositum.

Dices 3. Qui errat contra fidem ex ignorantia affectata, quod oppositum doceatur ab Ecclesia, vult ignorare ex contemptu auctoritatis Ecclesie, tanquam fallibilis in rebus fidei. Sed qui contemnit auctoritatem Ecclesie, tanquam fallibilem in rebus fidei, est formaliter hæreticus. Ergo saltem ille est formaliter hæreticus, qui errat contra fidem ex ignorantia affectata, quod oppositum doceatur ab Ecclesia.

Ref. neg. maj. Imò vult ignorare, quia certò credit Ecclesiam esse in proponendis revelationibus infallibilem, & ita vult ignorare, quia reveretur auctoritatem Ecclesie in rebus fidei; & ita reveretur, ut si cognosceret oppositum ab ea doceri, statim veller judicio ejus se submittere, & sic cogere deponere opinionem suam, quam amat, & quam, spectatis solis rationibus naturalibus, veram judicat, cum hac tamen, ut jam dictum est, tacita conditione, nisi oppositum sit à Deo revelatum, & ut tale sufficienter ab Ecclesia propositum. Ex quo apparet illum nullo modo contemnere auctoritatem Ecclesie, tanquam errori obnoxiam in proponendis veritatibus fidei.

At inquit. Quid si errans contra fidem, ignorando quod oppositum doceatur ab Ecclesia, affectaret ignorare ex contemptu auctoritatis Ecclesie, tanquam fallibilis in rebus fidei? *R. 1.* Quod non erraret contra fidem ex ignorantia, sed cum ignorantia, quod oppositum doceatur ab Ecclesia: nam tunc ignorantia non esset causa erroris ejus, nec esset ignorantia antecedens, sed merè concomitans: cum enim contemnat auctoritatem Ecclesie ut errori obnoxiam in rebus fidei, sublata ignorantia, & cognito sensu Ecclesie, adhuc permaneret in errore suo, & tandiu permaneret, quandiu retineret judicium illud, quo auctoritatem Ecclesie, ut fallibilem, parvipendit.

Resp. 2. Quod esset formaliter hæreticus, non præcisè propter actum erroneum, quo negaret articulum fidei, ut talem ab Ecclesia sufficienter propositum, sed propter illud prævium judicium erroneum, quo contemneret auctoritatem Ecclesie, ut fallibilem in rebus fidei, ac proinde Ecclesie in rebus fidei infallibilitatem denegaret.

Dices 4. In aliis materiis peccatum commissum ex ignorantia graviter culpabili, est ejusdem speciei moralis, cum peccato commissio ex certa scientia. Ergo etiam in materia fidei. *R. neg. conseq.* Disparitas est, quia ad peccatum mortale hujus vel illius speciei moralis in aliis materiis, saltem ut plurimum sufficit actionis male voluntarietas, quam non impedit ignorantia graviter culpabilis. At verò ad hæresim, præter voluntarietatem actus, quæ ad peccatum mortale satis est, requiritur specialis notitia & advertentia revelationis divinæ, cui contradicatur, & sufficientis ejus propo-

propositionis; quia sine hac notitia & advertentia error contra fidem potest quidem esse graviter malus & culpabilis, at non potest esse formalis aut virtualis negatio pertinax infallibilitatis Dei revelantis, aut Ecclesiae revelationem divinam proponentis: quod tamen essentialiter requiritur ad haeresim.

Dices 5. Error contra fidem ex ignorantia culpabili sufficit ad paganisimum & judaismum. Ergo sufficit etiam ad haeresim. *R. dist. ant.* Error contra fidem ex ignorantia culpabili sufficit ad paganisimum & judaismum materialiter, *C. ant.* Ad paganisimum & judaismum formaliter, *N. ant.* & conseq. Vel, si vis, *dist.* similiter *conf.* Ergo sufficit etiam ad haeresim materialiter, *C. conf.* Ad haeresim formaliter, *N. conf.* Duplex itaque distingui potest paganisimus (idem dic de judaismo) nempe paganisimus materialiter, & paganisimus formaliter.

Paganisimus formaliter consistit in infidelitate proprie dicta, & pellente habitum fidei, & est in eo, qui falsam idolorum religionem proficitur, quamvis vera religio sit ei sufficienter proposita, ut prudenter possit & debeat eam credere & amplecti, quam proinde rejicit & contemnit pertinaciter: unde ad paganisimum formaliter requiritur pertinacia in rejicienda & contemnenda vera religione, quamvis sufficienter proposita ad obligationem illam credendi & amplectendi.

Paganisimus materialiter consistit in errore culpabili, quo quis adhæret falsæ idolorum religioni, ex ignorantia culpabili veræ religionis, quæ scilicet non est ei sufficienter proposita, ut prudenter possit & debeat illam credere & amplecti, sed est sufficienter, ut debeat inquirere: quod cum non faciat, ignorat culpabiliter, & sic ex ignorantia culpabili adhæret falsæ idolorum religioni, sed sine pertinaci rejectione & contemptu veræ religionis, quæ non est ei sufficienter proposita, ut illam prudenter credat & amplectatur. Unde in paganismo materialiter, non est pertinacia, sine qua tamen non potest esse infidelitas proprie dicta, & cum habitu fidei impossibilis.

Similiter duplex distingui potest v. gr. Lutheranismus, nempe Lutheranismus materialiter, & Lutheranismus formaliter. Lutheranismus formaliter est infidelitas proprie dicta, & pellens habitum fidei, qua aliquis adhæret doctrinæ Lutheri, cum cognitione & advertentia, quod oppositum doceatur ab Ecclesia Romana, ipsi per motiva credibilitatis sufficienter proposita, ut Ecclesia vera, & consequenter ut infallibilis in docendis veritatibus revelatis, quam proinde prudenter potest & debet credere esse veram Ecclesiam, & in proponendis veritatibus fidei infallibilem. Unde talis est formaliter hæreticus, quia pertinaciter rejicit & contemnit veritates fidei, erroribus suis contrarias sibi ad obligationem credendi sufficienter propositas, & pertinaciter negat infallibilitatem & veritatem Ecclesiae Rom. sibi sufficienter propositæ ad obligationem credendi eam esse veram & infallibilem Ecclesiam.

Lutheranismus materialiter est error culpabilis, quo quis culpabiliter adhæret doctrinæ Lutheri ex ignorantia culpabili, quod Ecclesia Romana, quæ oppositum docet, sit vera Ecclesia, & consequenter infallibilis in veritatibus fidei proponendis; in quantum veritas & infallibilitas Ecclesiae Romanae non est ei sufficienter proposita per motiva credibilitatis, ut prudenter possit & debeat illas credere, sed solum ut prudenter possit & debeat de illis inquirere. Unde talis non est formaliter hæreticus, quia non rejicit veritates revelatas, ut tales sufficienter propositas ad obligationem credendi, sed solum sufficienter ad obligationem inquirendi; nec rejicit veritatem & infallibilitatem Ecclesiae Romanae, quas teneatur immediatè credere, sed solum de quibus teneatur immediatè inquirere; proindeque non habet pertinaciam ad formalem haeresim requisitam, & in eo sitam, quod quis rejiciat & contemnat veritates fidei, ut tales ad credendum sibi sufficienter propositas per auctoritatem Ecclesiae veræ & infallibilis, ut talis ad credendum sufficienter propositas per motiva credibilitatis, quam tamen esse veram & infallibilem Ecclesiam credere, eique ut tali

deferre non vult, & nolendo pertinaciter rejicit, & contemnit.

Ex his autem observa, in hæreticorum regionibus non deesse, præsertim inter rudes, vel juniores, qui errorem cum lacte hauserunt à parentibus, & ubi nulum est publicum veræ religionis exercitium; non deesse, inquam, qui excusentur ab haeresi formali, ac proinde & ab excommunicatione in foro conscientiae; quia scilicet non desunt qui errent, quamvis culpabiliter, absque pertinacia ad haeresim formalem requisita, quia errant ex ignorantia, quamvis culpabili, quod Ecclesia Romana, cui contradicunt, sit vera & infallibilis Ecclesia, eò quod Ecclesia Romana non est illis sufficienter proposita, ut prudenter possint & debeat credere illam esse veram & infallibilem Ecclesiam, sed solum sufficienter, ut prudenter possint & debeat de ejus veritate & infallibilitate inquirere. Unde Ecclesiam Romanam esse veram & infallibilem Ecclesiam negant quidem culpabiliter, & negando, graviter peccant contra fidem, sed tamen negant absque pertinacia hæresis formalis constitutiva, qualis reperitur in iis omnibus, quibus Ecclesia Romana, ut vera & infallibilis Ecclesia, sufficienter proponitur ad obligationem credendi, & tamen nolunt credere.

Pauci porro sunt inter hæreticos, saltem eos, qui regiones incolunt, in quibus permittitur vel toleratur veræ religionis exercitium, pauci, inquam, sunt qui sic ab haeresi formali excusari possint, quia tot & tanta, tam clara & obvia sunt motiva credibilitatis pro vera Ecclesia, ut passim sese offerant, & vel invitis oculos perstringant. Unde hæreticis communiter veritas & auctoritas Ecclesiae Romanae sufficienter est proposita ad credendum; paucique censendi sunt esse, qui sine pertinacia, & consequenter sine formali hæresi Ecclesiam Romanam esse veram & infallibilem Ecclesiam agnoscere inficiuntur.

Dices denique 6. Quilibet actus de se graviter malus, charitati repugnat, eamque pellit, quamvis committatur ex ignorantia graviter culpabili. Ergo quilibet error culpabilis contra fidem, repugnat habitui fidei, illumque pellit, si is, qui errat, ex ignorantia graviter culpabili errat. *Resp. neg. conseq.* Nam actus de se graviter malus, ex ignorantia graviter culpabili commissus, habet specialem aliquam repugnantiam cum habitu charitatis, quam non habet cum habitu fidei error contra fidem ex ignorantia graviter culpabili: nam in sensu composito actus de se graviter malus, ex ignorantia graviter culpabili commissi, non potest exerceri actus perfectæ dilectionis, propter quem tamen datur & conservatur habitus charitatis. At in sensu composito erroris contra fidem ex ignorantia graviter culpabili, exerceri possunt actus fidei etiam perfectæ circa alios articulos, circa quos non erratur.

Mirum itaque non est, quod habitus fidei, qui nobis datur ad exercendos actus perfectæ fidei, non pellatur per errorem contra fidem ex ignorantia graviter culpabili, & tamen habitus charitatis pellatur per quemlibet actum de se graviter malum, ex ignorantia graviter culpabili commissum: sicut etiam habitus fidei pellitur per quemlibet errorem contra fidem, conjunctum cum pertinacia, seu per quemlibet errorem contra fidem, conjunctum cum sufficienti scientia & advertentia, quod oppositum doceatur à vera Ecclesia: cum enim talis error sit saltem virtualiter negatio infallibilitatis Dei loquentis, vel Ecclesiae res fidei proponentis, & impossibilis sit cum voluntate absoluta & generali se submittere auctoritati divinæ sufficienter ad credendum propositæ, & ita sit impossibilis cum omni actu fidei perfectæ, reddit inutilem habitum fidei, & habet cum illo specialem repugnantiam, qualem habet omne peccatum mortale cum habitu charitatis.